

XXIX

AD MAECENATEM

Strophe Alcaica

Tyrrhēna rēgum prōgeniēs, tibī
Nōn ante versō lēne merum cadō
Cum flōre, Maecēnās, rosārum, et
Pressa tuīs balanūs capillīs

Iamdūdum apud mē est : ēripe tē morae ;
Nec semper ūdum Tībur et Aefulae
Dēclīve contempleris arvum et
Tēlegonī iuga parricīdae.

Fastīdiōsam dēsere cōpiam, et
Mōlem propinquam nūbibus arduīs :
Omitte mīrārī beātae
Fūmum et opēs strepitumque Rōmae.

Plērumque grātae dīvitibus vicēs,
Mundaeque parvō sub Lare pauperum
Cēnae, sine aulaeīs et ostrō,
Sollicitam explicuēre frontem.

Iam clārus occultum Andromedae pater
Ostendit īgnem ; iam Procyōn furit,
Et stēlla vēsānī Leōnis,
Sōle diēs referente siccōs.

Iam pāstor umbrās cum grege languidō
Rīvumque fessus quaerit, et horridī
Dūmēta Silvānī ; caretque
Rīpa vagīs taciturna ventīs.

Tū, cīvitatē quis deceat status,
Cūrās ; et urbī sollicitus timēs,
Quid Sēres et rēgnāta Cŷrō
Bactra parent Tanaisque discors.

Prūdēns futūrī temporis exitum
Cālīginōsā nocte premit deus ;
Rīdetque, sī mortālis ultrā
Fās trepidat. Quod adest, mementō

Compōnere aequus : cētera flūminis
Rītū feruntur, nunc mediō alveō
Cum pāce dēlābentis Etrūscum
In mare ; nunc lapidēs adēsōs,

Stirpēsque raptās, et pecus, et domōs,
Volventis ūnā, nōn sine montium
Clāmōre vīcīnaeque silvae,
Cum fera dīluviēs quiētōs

Irrītat amnēs. Ille potēns sū
Laetusque dēget, cū licet in diem
Dīxisse : ‘Vīxī : crās vel ātrā
Nūbe polum Pater occupātō,

Vel sōle pūrō : nōn tamen irritum,
Quodcumque retrō est, efficiet ; neque
Diffinget īfectumque reddet,
Quod fugiēns semel hōra vexit.’

Fortūna, saevō laeta negōtiō, et
Lūdum īsolentem lūdere pertināx,
Trāsmūtāt incertōs honōrēs,
Nunc mihi, nunc aliī benīgna.

Laudō manentem : sī celerēs quatit
Pennās, resīgnō quae dedit, et meā
Virtūte mē involvō, probamque
Pauperiem sine dōte quaerō.

Nōn est meum, sī mūgiat Āfricīs
Mālus procellīs, ad miserās precēs
Dēcurre et vōtīs pacīscī,
Nē Cypriae Tyriaeque mercēs

Addant avārō dīvitiās marī :
Tunc mē birēmīs praesidiō scaphae
Tūtum per Āgaeōs tumultūs
Aura feret, geminusque Pollūx.